



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XIV. Complura Suauis errata. Poloniae Orator exceptus. Variæ sententiae de paratis doctrinae Canonibus; ac praesertim, An & quomodo Episcopi sint ex Iure Diuino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

rum sinceræ significationes à natura vim quamdam obtinent, ex qua homines inter negotia diu exerciti ipsas à simulatis discernunt. 1562.

5 Dum adfuturi Transmontani huiusmodi sollicitudinem excitabant, alteram qui iam aderant incussere. Ea fuit, orta iterum<sup>m</sup> æmulatio Oratoris Heluetij erga Bauaricum, paulò antè à suo Principe regressum; quæ tantum turbarum discrimen attulit, vt necesse fuerit Legatis ad eas vitandas cœtus iam indictos nonnumquam omittere. Cupiebat Bauaricus saltem bis tēve solemnibus actionibus interesse, ita vt Helueticus non adesset, cū hic tam diu liberum ob ipsius absentiam theatrum obtinisset. Atque id ægerrimè impetratum est, & ipso facto dumtaxat, non per promissum, quod singulis vicibus anxios habebat Legatos. Postea nullo inter æmulos temperamento reperto, proposuerunt Legati, vt ambo siue sponte, siue, vbi cautius id sibi suos apud Principes existimarent, ipsorum Præsidium iussu à publicis functionibus abessent, vel Tridenti, vel in vicinis locis degentes, donec opera nauaretur, vt ipsorum Principes concordiam inirent: quòd si hoc non succederet, à Pontifice mandata acceperant, quemnam ex Oratoribus abire paterentur. Sed hoc extremum erat consilium, nec re complendum citra necessitatem, nec vulgandum antequam compleretur. Denique Legatis enixè conuenientibus, & Oratoribus Cæsareis deprecantibus, vterque consensus ne interesset. Enimuerò iurisdictione, quòd celsiores in homines, & in rebus celsioribus exercetur, eò speciosior, sed simul ponderosior Iudici accedit: adeoque ponderosissima illa est, quæ de prærogatiua inter Principes habetur; cū ea Iudicem cogat, vt alterum sibi reddat inimicum quasi per apertam grauissimamque iniuriam, nec alterum sibi reddat obnoxium, qui se victorem non putaret, nisi victoriam ex manifesto suo iure profectam agnosceret.

*m* Litteræ  
Legatorum  
ad Borromæum,  
12. 15. &  
19 Octobris  
1562.

## CAPVT XIV.

*Complura Suavis errata. Polonia Orator exceptus. Variæ sententia de paratis doctrinæ Canonibus; ac præsertim, An & quomodo Episcopi sint ex Iure Diuino.*

1 **S**uavis quæ erroribus, quæ mendaciis, quæ versutiis numquam me longius progredi patitur, itinere non interrupto. Et sanè si vellem refellere quidquid ille aut nullo aut falso nixus fundamento narrat, ingentia & multiplicata volumina mihi satis non essent; falsum enim vno verbo profertur, sed nonnisi compluribus reuincitur. Aliquot ipsius errata pro more signabo, ex quibus argu-

1562. argumentum de reliquis capiatur. Studet minutulam sententiarum, quæ dictæ sunt, rationem reddere, & labitur ad primum gressum, affirmans, articulos tunc expositos trutinæ fuisse octo, quippe qui octo Canones postea legit in ea Sessione à Concilio firmatos; & tamen si leui labore legisset Acta aut Paleotti, aut Episcopi Salmanticensis, aut Musotti, aut etiam Diarium, didicisset, eos fuisse septem, octauum verò non nisi post diuturnam temporis moram propositum. Nihil nouit de distributione sex classium<sup>3</sup>, ac trium priorum, quæ Ordinis Sacramento destinatæ sunt; sed quatuor solùm enumerat, atque tunc omnino de illis argumentis fuisse locutas.

*Præter Acta Arcis Æliæ, Acta Paleotti, Episc. Salmanticensis, & Diarium.*

Refert, in primo cœtu 23. Septembris differuisse quatuor Theologos Pontificios, & inter alios Sotum & Brauum Dominicanos, quod est errorum congeries. Etenim non plures quàm tres in ea verba fecere, & ex iis vnus Pontificius, non Sotus, nec Brauus, sed Salmeron: duo reliqui in eo conuentu auditi, Bellosilius Philippi Regis, & Payua Sebastiani Theologi fuere.

In describendis Soti & Cornelij sententiis tantum ab ipsa discrepat, quantum sibi vix persuadere poterit is, qui Suauis narrationem nostræ non componat, ab authenticis integrisque monumentis desumptæ.

Postridie Kalendas Octobris prolixum describit sermonem Simonis Florentini, qui erat Seripandi Theologus, de articulo pridie exagitato, Num Episcoporum institutio sit ex Iure Diuino. Et reuera nihil ille eo die locutus est, sed solùm Chrysofomus Castellanus Eremitanus, Laurentius Venetus Carmelita, Amantius Brixiensis è Seruis B. Virginis, & Diamantus Florentinus, pariter Eremitanus, à supremo suo Præsidente adductus. Quid porro? In iis cunctis conuentibus ne verbum quidem fecere de recitatis articulis Brauus in primum cœtum inductus à Suauis, & commemoratus Simon, vtpote tribus classibus Ordinis Sacramento destinatis minime comprehensi, quod liquet ex Actis Paleotti, vbi earum classium Theologi singulatim recensentur. Reputet hinc lector, quâ fide dignus hic scriptor in enarrandis minutatim, pro eo ac proficitur, singulorum sententiis ac narrationibus.

Nihil ipse de tribus illis consiliis cognouit, à Legatis Pontifici propositis per celerem tabellarium, de mansione: narratque, à Pio fuisse illis iniunctum, vt primo loco rem sibi committendam curarent, sed absque Decreto; & vbi id obtineri non posset, darent operam vt Synodus negotio consulere per pœnas ac præmia, non  
item

item per dogmatis sanctionem. Quæ narratio falsi redarguitur in singulis suis partibus ab epistola Borromæi, à nobis adducta, ubi tamquam primum votorum eligitur, quod electum tertio loco Suauius affirmat, & eo non impetrato, probatur tamquam secundum consilium res commissa Pontifici absque vlla distinctione, quod ea per Decretum aut sine Decreto committatur. Ad hanc veritatem confirmandam animaduertent subinde lectores, à Legatis post paucos dies id consilij susceptum, ad quod, ex narratione Suauius, confugiendum Legatis non fuisset secundum Pontificis voluntatem, nisi duobus prioribus consiliis antea sine fructu tentatis.

1562.

2 Vt nostro pergamus itinere, per eos dies accessit Concilio nouæ legationis regni splendor, cum eò peruenisset <sup>b</sup> Valentinus Erbutus Episcopus Præmissiensis, Orator Sigismundi Poloniæ Regis. Obuiam illi processere complures ex Patribus, aliisque, per consuetas honoris significationes, prætermisso idcirco eo die generali conuentu, exceptusque domi fuit ab Osio Cardinali, eiusdem nationis. Adductus postea in solemnem cœtum, mandati loco simplicem epistolam protulit, fidei conciliatricem, ad Concilium scriptam. Nul- lam habuit mentionem de Polonis Episcopis, qui nondum aduenerant, nec eorum absentiam, pro eo ac expectabatur, excusauit. In responsione Oratori reddita à Synodo & debita Regi reuerentia exhibita est, & grates actæ. Verum Legati veriti ne in proximis illius regni Comitibus de Religionis negotiis ageretur, occurrere periculo haud neglexerunt, scriptis ad Sigismundum Regem efficacibus litteris, in quibus ob oculos illi ponebant, quàm id Ecclesiæ absurdum euaderet, & probrosam Poloniæ, id temporis, quo negotiorum ad Religionem spectantium causâ Oecumenica Synodus extabat.

<sup>b</sup> 14. Octobris 1562. ex epistola Legatorum ad Borromæum, 15. Octobris 1562. & præter Acta Arcis Eliæ, ex Actis Muratori, ex Actis, & litteris Episcopi Mutinensis ad Moronum, 15 & 26. Octobris 1562.

3 Alicuius momenti iactura per eos dies accidit ex obitu Ioannis Antonij Pantusæ Cosentini, Episcopi Literarensis, cui meritò est exhibitus honor, qui solet impertiri homini alterius præmij non amplius capaci, collaudatâ eius doctrinâ apud Pontificem à Legatis. Sed simul aliâ laudatione, magis fructuosâ quàm ea quæ supra cineres spargitur, cohonestatus est <sup>c</sup> Sebastianus Leccauela Archiepiscopus Naxiensis, ad obtinendam, vti factum est, Ecclesiam de- mortui.

<sup>c</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum, 28. Octobr. eiusque ad Legatos responsio, 6. Nouembris 1562.

4 Absolutis minorum Theologorum conuentibus, illicò datum est negotiorum nonnullis Patribus formandi ex prolatis eorum sententis Canones & Decreta. Selecti ad id fuere Gaspar de Fosso, ex Ordine S. Francisci de Paula Archiepiscopus Rheginus, Callinus

Pars III.

C c

Archi-

Historiæ  
Concilij Trid.  
Pars III.

1562. Archiepiscopus Iadrensis, Andreas de Cuesta Episcopus Legionensis, Sala Viuariensis, Suarius Conimbricensis, Colofuarinus Conadiensis, & supremi Moderatores Seruorum B. Virginis & Iesuitarum, quorum opera cum singulis Patribus octauo die mensis communicanda erat. Sed antea eorum exemplar traditum Oratoribus de more <sup>d</sup>. Galli restiterunt in septimo Canone, vbi damnabatur, qui negaret vim habere ordinationes ab Episcopis habitas absque electione & consensu populi, opposcentes id aduersari Gallia consuetudini. Idcirco paratum iam exemplar retardatum, auditique sunt Oratores in quodam Theologorum cœtu; qui Theologi declararunt, suam mentem in illis verbis fuisse, solum definire, vim Sacramenti ab assensu populari minimè pendere. Verùm Oratores clariorem explicationem cupiere, adeoque vox *ordinationes* in vocem *Ordines* commutata. Nono igitur Octobris Canones & Decreta singulis Patribus scripto tradita; ac postea habito ad ea expendenda conuentu, innumera & obseruata sunt & obiecta, ac longè plura<sup>e</sup> quàm in quouis præteritorum argumentorum; siue quòd hoc argumentum id ex seipso mereretur, siue quòd in rebus ad nos spectantibus vel minutissima quæque adspectabilia nobis apparent. Magis præcipua percurram.

Venetus Patriarcha repugnauit particulæ, in qua dicebatur, Ordines compleri à Sacerdotio, cum hoc ipsi videretur aduersari capiti primo in titulo De sacra Vnctione, & communi opinioni Iuris Ecclesiastici peritorum, affirmantium, Episcopatum, qui per Sacerdotium haud completur, Ordinem esse.

Contentiosius obstitit Guerrerus: is post quædam minùs grauia à se notata dixit<sup>f</sup>, Carere eos Canones definitione admodum necessariâ, & Iulio Tertio sedente iam paratâ: Episcopos Iure Diuino institutos fuisse, & ex eodem Presbyteris esse maiores: nam Caluinus, Musculus, aliique innouatores hanc illis prærogatiuam denegabant, eaque de re se cum Legatis iam egisse, nullo sibi reddito responso. Suam sententiam ex eo confirmauit, quòd Episcopatus vnicus esset, cuius partem cuncti Episcopi obtinebant: Pontificem Romanum & Episcopos esse fratres, filios vnus Patris, qui est Christus, & vnus Matris, quæ est Ecclesia: æquè institutos à Christo fuisse secundos, ac primum. Romanum quidem Pontificem tamquam caput institutum, sed solum tamquam causam beneficientem, non generantem, quemadmodum caput nostrum regit quidem & adiuuat membra reliqua, sed ea non generauit. Petrum Apostolorum institutorem haud fuisse, sed Christum, adeoque Epi-

<sup>d</sup> Epistola Iadrensis ad Cornelium Card. & Fuscarij ad Moronum, 18 Octobris 1562. & arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom.

<sup>e</sup> Litteræ Legatorum ad Borrom. 26. Octobris 1562.

<sup>f</sup> Præter testimonia producta, litteræ legationis ad Borrom. & Iadrensis ad Cornelium, 15. Octobris 1562. & arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 19. & 22. Octobris 1562.

Episcopis, utpote successoribus Apostolorum, impertitam esse potestatem non à Petri successoribus, sed à Christo. Attulit exemplum arboris, in qua multi quidem rami, sed vnica solùm inest virtus. Si Sacramenta, Hierarchia, ac primus Hierarcha institutionem à Deo receperunt, Sacramentorum etiam ministros, ceterosque Hierarchas à Deo fuisse institutos. Hæc certissima esse, & ab hæreticis negata, adeoque digna quæ definiantur.

Osius Cardinalis, pro eo ac inter collegas conuenerat, postremis dictis respondit, quibus inferebatur necessitas definiendi: Ab ipsa quoque Augustana Confessione concedi hanc in Episcoporum gradu prærogatiuam, sed solùm negari, Episcopos consecratos vnctionibus, precibus ac ritibus nostris, esse quales instituti fuerant. Ad hæc Guerrerus: Si vel ipsi hæretici hoc fatentur, cur nos puder affirmare? At Osius reposuit: Ne viderentur in controuersiam vocare quod ab aduersariis haud impugnatur. Contrà Guerrerus: Ab hæreticis & Augustana Confessione reuera illud negari; petitque vt vel ea definitio conficeretur, vel productis à se testimoniis ac rationibus responderetur. Sed persistente Osio in iis quæ prius dixerat, ardens Guerrerus respondit: *Rem Nationibus remitto.*

6 Archiepiscopus Iadrensis monuit, Synodum non conuenisse ad solam Confessionem Augustanam damnandam; adeoque cum is error in aliis nouatoribus deprehendatur, esse confutandum.

Id confirmauit Bracarensis, obseruans, ab hæreticis concedi Episcopis ex institutione Diuina solam potestatem prædicandi Euangelij, non item conferendi Ordines, & confirmandi, sicuti apud Ecclesiam Catholicam in vsu est. Hinc aduersus eos declarandum, hanc totam auctoritatem à Christo ipsis collatam fuisse.

Ayala Segouienfis Episcopus obiectum Patriarchæ Veneti confirmauit testimonio S. Dionysij, docentis, Ordinem ab Episcopatu compleri. Censuit, definiendum non esse, conferri in hoc Sacramento illud genus gratiæ, quod nos Deo gratos efficit: Etenim, aiebat ille, à Sacramentis non nisi id effici, quod ab ipsorum forma significatur; at à forma Ordinis illud genus gratiæ minimè significari. Verùm esse, à Deo pro sua misericordia impertiri auxilia præstantiora iis qui hunc gradum obtinent. Postulabat, vt hinc enumerarentur cunctæ cæremoniæ, simulque distinguerentur ea quæ ex necessitate, ab iis quæ fierent ex mera congruentia; atque vt explicaretur partitè Episcoporum ac Sacerdotum origo, quatenus hierarchiam constituunt; quod in memoratam definitionem tendebat. Adiecit præterea: Quemadmodum Pontifex Romanus

1562. Petro succedebat, sic Episcopus Apostolis succedere; proinde ubi iurisdictionis Episcoporum debilitaretur, Pontificiam pariter debilitari. Potestatem iurisdictionis Episcopis à Deo conferri, cum Episcopatus absque iurisdictione consistere nequeat; sed exercitium iurisdictionis ipsis conferri à Romano Pontifice, ad quem spectat personas designare, & Ecclesias partiri. Accipi ab Episcopis in ipsa consecratione iurisdictionem, nec eam per *degradationem*, ut vocant, deperdi. Studuit postea compluribus Pontificum testimoniis ostendere, Episcopatum esse Ordinem. Dixit, illum è tribus hierarchicis Ordinibus vnum esse, quippe quod duobus solum Ordinibus Hierarchia componi non poterat: reliquos sacros Ordines solum esse Presbyteratum ac Diaconatum; & hinc rursus arguit: Cum Christus Hierarchiæ auctor esset, esse pariter auctorem illius iurisdictionis, quâ Episcopi in Ordine hierarchico supremo constituuntur. Postremò consideravit ea verba: *Quodcumque ligaveritis*, fuisse à Christo dicta cunctis Apostolis; affirmavitque, Episcopus Apostolis plenè succedere tum in Ordine tum in iurisdictione.

Eidem adhæsit sententiæ Episcopus Auriensis, dicens, Nihil ab hæreticis magis intendi, quàm abiectionem Hierarchiæ; adeoque eius fabricam exactè stabiliendam per gradus, eiusdemque Architectum, Deum videlicet, ostendendum. Hanc similiter definitionem urgebant Episcopi Dertusensis & Veglensis.

Verùm ab ea Patres dehortabantur (tamquam à re minimè necessaria, de qua neque ipsi conuenerant, neque minores Theologi disceptarant) Guido Ferrerius Episcopus Vercellensis, postea Cardinalis, & Ioannes Antonius Facchinettus, de quo sæpius habita est mentio, quiq; iam Neocastrensis Antistes eò aduenerat, & longo post tempore ad primam Sedem ascendit, sed mortis celeritate Christianæ Reipublicæ spem fefellit.

Andreas Cuesta Episcopus Legionensis tria in Episcopis distinguit, Potestatem Ordinis, Facultatem & habilitatem conficiendi actus iurisdictionis, & ipsam Iurisdictionem perfectam ac liberam. Posterius ex his cum priori connecti intrinsecus, adeoque ab eo separari non posse; eo pacto, quo in Sacerdotibus vi Ordinis inest absoluendi facultas, atque totum id à Deo esse; sed quemadmodum Sacerdos plenam perfectamque iurisdictionem non obtinet, nisi ab humano superiore, ita contingere Episcopo; & adduxit Cardinalem à Turrecremata in lib. 2. de Eccles. ex cap. 13. vsque ad 67. Nulli igitur detrimento esse Pontifici declarationem, quâ dicantur

g Præter A-  
cta, epist. la-  
drensis,  
22 Octobr.  
1562.

dicantur Episcopi esse ex Iure Diuino, cum oporteat id intelligi de ipsorum primaria ac nobilissima potestate: & S. Thomæ doctrinâ id confirmauit<sup>h</sup>.

1562.

<sup>h</sup> Secunda  
Secunda,  
quæst. 93.  
art. 3.

8 In eandem sententiam verba fecere Bouius Episcopus Ostunensis, & Sala Viuariensis, qui volebat, vt claris notis diceretur, Episcopus esse ex Diuina institutione, quod spectat ad Ordinem, non quod ad iurisdictionem. Et Bonellus Episcopus Tifernatium ad illud ipsum adduxit alia duo testimonia Cardinalis à Turrecremata super primo Canone distinct. 21. & super Canone *Legimus*, in distinct. 93.

Contrariam opinionem propugnauit Gadus Episcopus Lucensis, arguens, à Deo positos Episcopos fuisse potissimum vt populum regerent, ac moderarentur; adeoque repugnare Diuinæ sapientiæ eum qui diceret, ipsis collatam à Deo non fuisse hanc auctoritatem: & à Synodo Constantiensi dicti sui confirmationem quæsiuit.

Franciscus Gibertus de Noguera Episcopus Aliphanus mediæ cuiusdam sententiæ adhæsit, ratus, iurisdictionem Episcopis traditam à Christo, materiam verò ad eam exercendam ipsis designatam à Pontifice: verba illa, *Pasce oues meas*, non fuisse soli Petro dicta, sed reliquis etiam Apostolis, ex doctrina Leonis I. in serm. 2. de die natali SS. Petri & Pauli; Augustini in lib. Pastorum; Cypriani, Ambrosij, & Innocentij III. in eius epistola recens in lucem edita, Christum fuisse locutum cum Petro vnâ cum reliquis Apostolis, quò ostenderet, eam auctoritatem in reliquis etiam perstituram; sed cum eo solo postea locutum, quò significaret, licere ipsi illam sine reliquis exercere.

9 Sebastianus Vantius Ariminensis Episcopus, sed veriùs Administrator Vrbeuetanus, cuius doctrinæ præclarum extat vestigium in eius tractatu *De Nullitatibus*, aliâ distinctione vsus est, atque ita disputauit: In dubium non vocari potestatem Episcopatus: quod spectat ad Ordinem, esse de Iure Diuino, cum omnes consentiant, Episcopos Apostolis succedere, vt habetur in Canone *In nono*, distinct. 21. & in lege ante vltimam, *Cod. De Episcopis & Clericis*. Præterquam quòd vis imprimendi dona naturam superantia non nisi à Deo conferri poterat. Sed si de iurisdictione sit sermo, hanc diuidi à Iurisperitis in Voluntariam, quæ non exercetur nisi in volente; & in Contentiosam, quæ vsurpatur etiam in repugnante. Voluntariam quippe, quæ personam comitatur, administrari posse vbicumque sit, ex lege secunda, & ex glossa ibi in titulo *De officio pres. & leg.* Contentiosam alligari loco, adeoque alibi non exerceri, ex

Historia  
Concilij Trid.  
Lib. 18. Cap. 14.



1562. lege finali *De iurisdictione Iud.* & ex capite *Coram*, & ex capite ultimo, *De officio leg.* Cùm itaque huius iurisdictionis exercitatio locum simul ac dignitatem postulet, sicuti obseruant Canonum Doctores in cap. 1. *De Ordin. ab Episcopo post renunt.* & ex doctrina Hostiensis in summa super eo, & sequenti titulo, locum designari Episcopis à Romano Pontifice, ac proinde hanc iurisdictionem in eos à Pontifice descendere. Id adhuc firmari, quoniam Episcopus electus, & nondum consecratus, huiusmodi iurisdictionis usum obtinet, ex cap. *Transmissa, de elect.* Igitur à Pontifice ipsi prouenire, vt qui nondum susceperit Ordinem, sine quo nihil habet à Christo sibi proximè collatum. Dein ostendit, hanc locorum diuisionem, Ecclesiæ Capiti commissam, optimè institutam fuisse ad confusionem euitandam, vt complures ex Canonum peritis, ex Commentariis ab illo productis adnotabant. Igitur Ordinis potestatem esse à Christo, iurisdictionis verò à Romano Pontifice, si hoc de contentiosa, non de voluntaria intelligatur; ac de eo communiter conuenire Canonum interpretes.

Complures alij de priori illo articulo nihil locuti, solum nauarunt operam ad expendendum id quod positum fuerat, non item ad exquirendum id quod prætermisum in Decretis & Canonibus propositis. Patres centum & octoginta vnus sententiam dixerunt, ex illis quinquaginta tres præter Granatensem additamentum petiere, alij pauci ambiguè disseruere. Duplici lapsu hîc deerrat Suauis: altero, affirmans pro ea parte quinquaginta nouem opinatos, quinque è suorum phantasmatum globo attributis illi factioni, quâcum inire fœdus voluit, quod ipsam Romano Pontifici aduersantem putarat: altero, maiorem fortasse eorum numerum futurum fuisse, nisi pituitæ defluuio multi præpediti abfuisent. Et tamen cùm de Decretis & Canonibus propositis centum & octoginta vnus ex Patribus sermonem habuisent, par fuit, vt paucissimi ex morbo domi detinerentur. Sed Suauiana in Pontificem bilis effecit, vt ex pituita obstacula in multis Patribus somniaret.

## C A P V T X V.

*Insignis Didaci Lainij dissertatio de institutione Episcoporum,  
& noua Suauis mendacia.*

**P**ostremus ex disputantibus, sed extra ordinem, pro iam commemorato ritu ipsi à Legatis præscripto, fuit Didacus Lainius, summus Moderator Societatis Iesu, qui 20. Octobris verba fecit<sup>a</sup>, & integrum conuentus habiti tempus solus expleuit. Hæc

<sup>i</sup> Litteræ adductæ Vicecomitis, & Acta Arcis Æliæ.

<sup>a</sup> Diarium, 20. Octobris 1562.